


Consimili leonis auderet contendere, haud inscius
 A Romanis non auferri, sed supplicari posse victoriam.
 Atque hoc ibi factumst: non virtus, verum astutia,
 Ars homonum abiectorum, triumphat ultimum.
 TU. Ut illum dolosum fulmine tangat Iuppiter!
 AT. Quom tandem Regulus exercitum assuetum victoriis
 Ad proelium produceret tubaeque clangenter,
 Recepit hostis se perterritique milites
 Post terga beluarum praesidum sibi petunt.
 Cum brutis animalibus servi, pugnare cives non solent.
 Exercitus erectus exspectatione constitit;
 Illam moram hostias in timorem accepit et statim
 Animo rursum recepto hic et illic apparet audacius.
 Demum cavillans adclamat Romanis eminus,
 Ad pugnam provocat exercitum. Nemo tamen
 Romanus huiuscmodi potest tolerare dedecus.
 TU. Istuc, opinor, minume passus est exercitus.
 AT. Nihil omnino; sed magno clamore proelium
 Fieri cupit. Cupidos pugnandi dux aegerrume
 Mitigare potest. Frendentes tum presso pede milites
 Atque irati hastas in terra figunt; quo tamen
 Audacior fit hostis ac procacior, odiose sonat
 Cachinnus irridentium. Tum Romani furore conciti
 Et vehementer incitati adeunt clamose Regulum
 Atque ira perciti iurando iure totum enuntiant
 Romanum exercitum cupere aut vincere aut mori.
 Regulus clamat: Agite, Romani, triumphabimus!
 TU. O di! quid postea? — AT. Tum cuneatim exercitum
 Prudenter instructo, ne impellerentur ad furorem beluae,
 Armis consul parci iubet. Frustra id praeceperat;
 Nam vix Romani funditores viderant procurrere
 Ad velitationem, quom immemores iussi arma ventilant;
 Densus eorum iactus solem obscurat, elephanti tamen
 Terram pedibus tundentes perciti dolore maxumo
 Phalangem perrumpunt. Tum ardenter clamat Regulus:
 Sequimini, quorum sanguis in venis Romanus fluit!
 Milites clamant: Sequamur, qui adhuc Romani sumus!
 TU. Sequamur! — SE. Quin taces? — AT. Octo cohortes pro-
 Tum ardenter clamat Regulus:
 TU. Quid ceteri? — AT. Discriminati sunt furore elephantum,
 Iterque praeclusumst. Illos non exspectabat Regulus:
 Prospectans semper hostem adparentem. Quis dat mihi
 Vires ad illa describunda, quae sequuta sunt?
(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA

QVID QVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET

Per.
 Lat
 011

C. DEL VECCHIO.



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Aprili MCMXXXVI

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad Iosephum FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

DE INGENUIS ARTIBUS IN POPULUM PERVULGANDIS¹

Ad ea quae de bonarum artium adhibenda pro popularibus ratione, dubio enucleato, proposui, aperte iam, ut lubet, nullaque ambiguitate respondeo.

Opera litterarum, musicesve, aut pictoriae artis, si quae popularia dicuntur, quia sponte quasi ex popularium animis effluxerint, non ea plerumque sunt, quae maximum pulchritudinis laudem assequantur. Verum, quae haud raro in eis deprehenduntur, et heic vel illic erumpunt, optime excogitata et notata, ea, a cuiusdam forte rustici ingenio promptius adinventa, tunc potissime omnes delectare poterunt, quam peritus artifex comprehendenter, expoliventer, aptiorique forma proposuerit. Ceterum communis est, artibus etiam ingenuis, humanarum rerum natura, ut ad altiorem in dies perfectioremque progressum nitantur. Quapropter nisi ipsa commutetur vel pervertatur hominum indoles, nemo tantae amentiae vir esse potest, qui, ut opera sua cuique plane intelligenda reddat, ea, rudiorum humiliorumve ritum moresque secutus, exprimat vel effingat.

Sed, ut perspecta magis res fiat, non

praetereundum, pulcra omnia, ab hominibus quavis aetate confecta, tum si quae pertractant subiecta spectemus, tum si formam, qua exterius ipsa reddunt, quaeramus, duplice posse agmine distingui. Est enim primum genus litteratorum artificumque, qui naturae adspectus et pulchritudinem externa tantum fidelitate, prout eorum oculi vel aures perculti fuerint, imitari conantur, paucis vel nullis additis quae moralem ipsius pulchritudinis sensum, quaeve animorum motus ad rem eruant. Sunt alii contra, qui servili illa imitatione despacta, reddentes ex naturae splendoribus exque sermone aut musicè vestem, animi potius affectus, dolores, gaudia, spesque innumeratas atque in dies excelsas callida manu referant, adnotent atque recinant, mundique adspectus et humanae societatis eventus, nonnisi hac admota veluti crystallina magica lente, contemplentur.

Rursus autem, si formam operum perscrutatus fueris, schola est, cui simplici magis et rudiori artificio uti placet, ut cuique ex plebe sua opera intellectu planiora evadant; dum alii contra, antiquitatis praecipue assiduo studio volumina pervolventes et monumenta investigantes, elegan-

¹ Cf. fasc. sup. mens. februarii.

tiore quo magis possunt calamo, sive stilo, sive scalpro ad opus accedunt, et subtilissima calliditate in minimis quantumvis apicibus aliquid splendoris ut micet curant. His notis, his legibus, qui « naturalistae » dicuntur, ab aemulis, quibus ad « idea » nomen est, seiunguntur, itemque qui inter classicos sese renuntiari cupiunt a plebeis et popularibus differunt.

Atqui ut rudi populo facile omnino et apertum artis opus fiat, simplici primum atque minus exquisita forma pertractatum esse oportet, cuius, nullis obstaculis praepedientibus, intimum operis sensum excipere plane quis valeat; deinde ut quae effinguntur atque enarrantur nec tam alta sint, nec tam impervia, quae ab assueta humiliorum consuetudine longe abhorreant, eorumque tenuem saepe eruditionem, vel minus promptam intellectus aciem, nimium praetergrediantur.

Quibus condicionibus positis, nemo est qui non videat, si altera haec popularium artium ratio una tantum ac victrix hominum mores pervaderet atque artificum animis potiretur, proxime fore ut omnis excolendae pulchritudinis progressus exsularet. Quae vero hoc potissimo consilio a viris ad popularium cultum bonumque deditis effinguntur, arduo saepe studio obscuraque plerumque labore, ea ob benevolentissimum illiusmodi conatum laude maxima esse digna nemo neget; sed a propria rectaque artium gerendarum lege, necnon ab earum natura longe dissita mihi videntur, nec quidquid ad earum progressum et augmentum unquam attulisse. Ea nimur non dissimili ratione cauta conspicio, quam quae a sedulis ludimagistris adhibetur in libris atque ephemeridibus pro pueris pueris, primis litterarum rudimentis vacantibus, exaratis. Est enim inculta plebs, sive rusticam sive urbanam eam delegerimus, pueri vix primis litteris imbuti apprime similis, quos, antequam ad Horatiana carmina intelligenda mens instruatur, diurno

annorum spatio grammaticos et lexicon et auctores, minus callido stilo utentes, versare necesse est, ut, arrepto tandem latinitatis vertice, poëtam dicendi elegantia principem, non tam perlegant integrum, sed quasi in deliciis semper habeant.

Ita conflantur pro popularibus cantuclae, musicesve planius effinguntur, fabulae et carmina tenuiore calamo exarantur, tabulae conficiuntur vivis sane coloribus illitae, sed abditis musarum lenociniis neglectis, quae animadvertere ignari audientes vel spectantes non possint. De his vero omnibus, non ut de bonarum artium operibus loquendum est, sed de optimis ferme conatibus ad popularium intellectum non modo delectandum, quam et erudiendum et offerendum paullatim, ut maiora tandem aptis viribus consequatur.

Sed a meta longe adhuc absumus, manetque iter haud brevi aetate explendum, antequam illa videndi, audiendi, atque intelligendi et sapiendi similitudo fiat, quae de nobiliori atque de humiliori artium bonarum ritu omnem sermonem auferat.

Quam versus metam praevalida quidem conamina esse autumno tum populare theatrum, tum potissimum Popularia, quae vocant, athenaea. Ea, dummodo evangelica caritate movente, atque moralis emendationis praeeunte consilio, condantur, quam maxime ad rem profutura credimus. Quin etiam, si catholicis lectissimis viris, qui in hodiernae societatis emendandam condicionem incumbunt, aliquod iuvat commendare consilium, illud est ferme, ut athenaeorum hujusmodi ortus et leges attente considerent, vixque commodum sit, in melius convertant.

I. ANTONELLI.

*Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.
Artibus ingenuis quaesita est gloria multis.*

OVIDIUS.

POMPTINAE PALUDES EXSICCATAE

Quae pars romani tyrrenis lambitur undis Agri, quam findunt amnes montesque coronant, Volscorum montes, quorum iam regna, Lepini, Antio ab urbe, vetus (tantum regionis) ad Anxur, Pomptinae hanc vitiant longe lateque paludes. Flumina quae terras miseras, felicia quandam Arva, rigant, tristis non ultima causa mephitis, Sunt Amazonus, aquis cuius coniungitur Ufens Finibus extremis, Nymphaeus et Astura primis. Astura, romanis olim ditissima villis, Quam Cicero coluit, quam pene et sanguine tinxit, Cum caput haud timide furioso praebuit ensi. Urbes quis numeret, Romanis pondera, quando Acri ter instabat vires opponere Volscus Viribus atque suas servabat mordicus aras Atque focos, renuens propria decadere terra Finitimisque caput validum curvare superbis?

At quae sors potuit tantum vitiare locorum Italia in media, litus cui prostat amoenum, Quam montes cingunt, cui felix aetra renidet? Oppida fama refert illa in regione fuisse Plurima, quae terrae nutritent ubere cives, Non equidem in mediis morbis diraque mephite. Quaenam causa mali? Cessit natura virorque, An hominum potius potuit socordia tantum? Cessit amor patrius, cari et cessere labores.

Itala cum tellus, undis submersa marinis (Docti sic referunt, memoro longissima saecula), Surgere coepit aquis – relevat vulcanius ignis – Germine se exornans viridi pelagusque repellens, Tum primum visa est Pomptina patescere caelo Planities, fecunda solo pecudique satisque Aptu nimis, curent homines si vertere glebas. Tunc mons Circaeus, potius tunc insula Circes (Aeaeam vocitat veteri de nomine Homerus), Fluctibus emergens navem excipiebat Ulixii Cum sociis reliquis, magicis quos artibus omnes In porcos vertit Circe: vertisset et ipsum, Ni sibi Mercurii monitis cavisset, Ulixem, Cui se mox praebet docilem solvitque sodales, Invitos, brutam mallent qui vivere vitam: Tantum serpit humili rerum vir ad infima pressus. Illius et Teucris raduntur litora terrae, Cum petit Aeneas, fatis comitantibus, urbem Legiferam quandam terrae dominamque futuram. Circaeis, magnis rebus sociatus inepte,

Augusti Lepidus deceptus fraude, quiescat, Pontificis Summi titulo contentus inani.

Pinguis ager colitur, messis respondet abunde Ut simul incepit glebas versare novellas Vomere nitus homo; surgunt urbesque domus-

[que; Tum fortis exstant populi, tum laeta iuventus. At leviter proclive solum, non flumina cursu Demittit pelago celeri, non egerit imbris Immodicos, ne stagna creent, ne rura putrescant, Ne moveat morbos exsurgens aura maligna. Dum navant homines operam incumbuntque la-

[bore Assidue duro, pax dum sua iura tuerit, Omnia nitenti cedunt superata colono;

Invenit unda viam pelagi messisque renidet In campis, hilarat montes et litora caelum.

At cum desidia incipiunt languescere vires, Aut bello vomer rabidum mutatur inensem, Tum venit omne malum; serpens iam spreta fa-

[villa Suscit immensas, pereunt quibus omnia, flam-

[mas. Tum stagna invadunt, volitant vitiantque colonos Tum tristes culices, mortis qui causa veneno Sunt homini tacito, minime nam culpa patescit, Et cogunt populos putridis exceedere terris,

Aut miseram atque brevem restantes ducere vi-

[tam. En cur Pomptinae fuerint steterintque paludes.

Quid tua nempe refert, Feronia, fabula veri? Dicitur hic locus Nymphae, fons dicitur olim Hic viguisse sacer, servis ubi facta potestas Servitio exire atque novam traducere vitam, Quam Nymphae memores gratam acceptamque

[referent. Cetera praetereo, cecinit quae pulcra poëta, Carmine qui tusco Iliadem convertit Homerii, Poenas enarrans Nymphae Iunonis ob iras,

Ex quibus extiterint Pomptinae nempe paludes.

Ast illam nemo studuit depellere pestem? Consule Cornelio arripuit rem Roma Cethego, Cui data tanta fuit rerum provincia primo.

Ast operis tanti ipsa obscura est fama superstes, Cum modo tantarum maneant mera nomina re-

[rum.

Pagina nam periit, magnum qua Livius illud
Cum referebat opus, merita tum laude notabat.
An valeat quisquam tantas implere lacunas?
Regis opus vere, illa et tempestate stupendum;
Qua quidnam poterant assumere ab arte labores?
Brachia non desunt certe, nec corpora spreta
Servorum, immanni quae sint addicta labori,
Quae pessumdet opus durum, quae pestifer aër.
Gratia nulla tamen servis accepta refertur,
Ut si non homines essent sed corpora bruta.
Ast ager enituit tota regione saluber,
Ut fas est credi: non messis avara colono
Illa est, quam gremio fundit natura novato.
Tum redeunt pagi, redeunt et civibus urbes.
Temporis at quanti spatio? Quis dicere possit?
Sed redit et pestis, redeunt deserta locorum;
Apparent iterum veteres tristesque paludes,
Quae stabiles iterum remanent dum praeterit
[aetas.

Appia quae longas partit via strata paludes,
Appius a porta hanc duxit Capuam usque Ca-
[pena

Claudius ille senex, Caecus cognomine dictus,
Qui Romam primus ductu ditavit aquarum,
Cuius et inflatum repulit sententia Pyrrhum.
Ducere sed valeat nisi siccans ante paludes?
Mentio sanatae sed tunc fit nulla paludis,
Aut saltem latitant quae sint bene facta secuta.
Si siccata palus, quanto post tempore paret
Atque iterum cogit morbos mortemque redire?
Nil habet historia illius, nil fabula facti.
Appia prima fuit via; plures inde secutae;
Appia sed merito dicta est regina viarum.

Inter quos animo Caesar conceperat ausus,
Pomptinas etiam voluit siccare paludes,
Sed vetuit caedes hominis. Siccasse videtur
Augustus, vero si consona dicta poëtae?
Si nempe illa palus sterilisque diu aptaque remis
Vicinas urbes aluit, grave sensit aratum,
Frugibus haud modicis respondit versa colono,
Ut non ambiguo confirmat Horatius ore.
Assensum, quae so, dictis quis deneget illis?
Sed quis crediderit vati uni tanta professo?
Historicis uso verbis an more poëtae?
Addere sed veris liceat, non dicere falsum.
Quanam fronte tamen poterant ea falsa referri?
Risissent homines, essent et fabula vulgi,
Quae tam falsidico cecinisses carmine, Horati.
Ni pro completis dederit mera copta poëta.
Sed videant alii; fas est mihi credere vati.
Ergo iterum campus rediit, rediere coloni

Et laetae segetes pecudesque hominesque do-
[musque.

Ast iterum cessit, stagnis redeuntibus, almus
Campus et invasit segetes hominesque domosque
Illa vetus veteri stagno sociata mephitis.

Non ultra illi operi studuit romana potestas,
Quae peius semper caderet trahereque ruinam.
Barbara quid facerent borealia regna secuta?
Gens tamen italicis regnis dominata Gothorum
Illum, quod stupeas, non est oblitera labore.
Nam Pomptina palus romani est tradita curis
Patricii Decii generoso a rege Gothorum.
Ille operi pergit totas impendere vires,
Cum sibi, tum regi cupiens afferre decorem.
Nec fuit incassum: veteres cessere paludes
Et fructus rediere novi, redeunte colono,
Qui simul et fruitur, sana et tenet arva labore.
Illud opus Decii, memorat quod et Anxure mar-

[mor,

Quaenam facta dedit tandem, quae infecta reli-
[quit?

Et quibus ex causis iterum invasere paludes?
Cur iterum passim redeunt deserta locorum?
Haec erat historicis res non indigna referri,
Sed tota est contra densis cumulata tenebris.
Maxima sunt crebro minimo signata lapillo.

Ex quo Pomptinae Petro cessere paludes,
Pontificum semper mentes ea cura momordit,
Si possent demum tantam depellere pestem
Finibus ex illis, terris populisque mederi.
Sed non ex toto saniem pepulere malignam,
Quae semper validos valuit perfringere frenos
Plus minus et solitis semper revalescere causis.

Traditur Octavus curam Bonifatius illam
Corde aluisse quidem; verum execranda Phi-
[lippi

Vis vetuisse virum tantam contingere metam.
Ille Pius fertur studio succensus eodem,
Splendida cui sanctam cingit victoria frontem,
Qua Mediam vicit confitus Virgine Lunam
Naupacti in pelago, solvens formidine cunctos
Christicolas, tanti fierent ne praeda tyranni.
Magni Pontifice emersere Leone labores,
Qui Decimus sedit cathedra illo nomine Petri.
Quos inter magnus tunc extitit ille canalis,
Qui tota in pelagus regione emitteret undas.
Alter et a Xisto est ductus cognomine Quinto.
Sed si cui libeat reliquos ex ordine cunctos
Dicere Pontifices, memoret laudetque sequentes
Ad Sextum usque Pium, quo non regalius alter
Hoc opus arripuit tantum meliusve peregit.

Appia sarta via est, pontes arcusque novati,
Quique canalis iter praebet fluitante carina,
Pagina quem memorat Venusini blanda poëtae.
Cauponae, cellae sunt, nedum tempora, refectae
Munifico sumptu. Cuncta is, si temporis arte
Illius possent fieri, perfecta dedisset.

Quid facerent alii, effecta is cum tanta dedisset?
Non tamen omittunt curas praebere sagaces,
Si quid opus, si quae surgant nocitura saluti.
Septimus inde Pius, tumidi qui victima regis,
Nec minus ac Sextus visus decidere Roma,
Addere quid potuit? Potuit quid et addere Nonus
Ille Pius, regni fuerit cui culmen ademptum?
Tantis pro meritis, memori gratoque decore,
Nomina Pontificum signant nova strata viarum,
Urbes quae findunt patulae decorantque novellas.

Postquam Pontificum cessit pia cura locorum,
Qui rerum domini properant succedere, possunt
Obiurgare quidem verbis male facta priorum,
Sed meliora queunt nullis adiungere factis.
Et quamquam culices morbi sint causa reperti,
Corporibus satagunt quos propulsare colonum,
Omnia reticulis cingentes tecta minutis,
Non ideo possunt putridas prohibere paludes,
Nec populis iterum laetas producere messes.
Quin immo rebus non praefulsero probatis,
Solita quos lucri cepit malesuada cupidus.

Fascibus est tandem fas superare laboris
Immensi pondus, grande et persolvere pensum.
His commissa est haec operis provincia tanti,
Qui non pro patria dubitarunt spernere mortem
Bello, quod terrae totum concusserit orbem,
Nec tamen omnimodis redierunt corpore sano.
Nec mora. Pars agri septem subiecta trioni
Materiam coepit primo praebere labori,
Temporis et spatio solis vertente minore
Cursu uno prodit dicunt quod nomine Quadrum.
Divisis fundis, domus est sua quaeque tributa,
Qui veneta plures terra venere, colonis.
Siccatus campos reddunt hi vomere laetos
Messibus atque satis victimum praebere sibique
Atque suis possunt, facilem quem terra ministrat.
Dicunt exorta urbs merito Lictoria prima.

Altera en colitur regio, urbs iam altera pareat
Proxima Circaeis lacubus, Sabaudia dicta,
Italiae regum clara de stirpe Sabauda.
Longo quod lacubus procurrit limite litus,
Quod nunc unda lavat complectque informis are-

[na,
Saxis constratum, tectis habitabile factum,
Praebebit villis sedem surgentibus olim.

Tunc non invideat Campanis sedibus ipsis.
Tertia quae surgit, Pomptinia nomine, felix
Pomptinas eadem memorat tumulatque paludes,
Quae post sunt homini generi mera fama futura.
Plaudite, Romulei, Italiae omnes plaudite ci-
[ves:

Pomptinae tandem domitae cessere paludes,
Quas non Roma potens valuit, non vincere reges.
En quo conduxit concors stabilisque voluntas;
En quae consurgunt fecundae munera pacis.
Bella quidem pereant velut hae periere paludes!
Cunei, e S. Thomae Aquinatis Collegio.

ALEXANDER MONTI, S. I.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

AETAS NEO-LATINA.¹

Sunt qui opinentur iuri romano ad novam vitam redeunt atque ad ius commune properanti ius barbaricum et ius canonicum non parum obstitisse. Ad ius barbaricum quod attinet, facile intelligimus sensim recessisse, in Italia saltem, quo magis romanus cultus et vita progrederetur; in eadem enim societate bina iura iam non intelleguntur: romanum praevalet, non tam purum, sed auctum iure langobardico; itaque non dixerim ius Langobardorum succubuisse, quasi impari certamine devictum, iuri romano; id enim fere nunquam fit in vita popolorum, nunquam plane in vita iuris; itaque ius langobardicum vixit vitam equidem novam, in iure romano communi; utrumque vero vivit hodie in novissimis iuribus. Sed vixit etiam in doctrina. Equidem non ignoramus « Romanistas » omne genus opprobria pertulisse in leges langobardicas, quas nonnulli mitiores tantum « ius consuetudinarium » aestimarunt, pleisque autem appellaverunt « ius asinimum — leges irrationales et asininas — non

¹ Cf. fasc. sup.

leges, sed faeces», etc.; nihilominus legem longobardicam Carolus Tocco ornavit apparatu et glossis, quae usui adhuc erant saec. XVI, alii in eandem ediderunt Summas et Commentaria; nec omittendae Andreae de Barulo «Differentiae inter ius romanum et longobardum» pluries editae usque ad saec. XVI, et «Proloquium in reliquias iuris longobardi», quod Prosperus Rendella edidit post medium saec. XVI. Eodem saeculo XV Benedictus Canophil, monacus Cassinensis, commentaria edidit de iure langobardico; aliisque de re scripsierunt. Suprema autem Curia saec. XV non ignorat quosdam dudum vivere lege langobardica, neque desunt, exeunte saeculo XVI, acta quaedam ad normam iuris langobardici; quin imo Matthaeus de Afllictis (1448-1528) testis est ius langobardicum, in Italia saltem inferiore, tamquam ius commune piae iure romano etiamtum haberi, ideoque pro eodem haberi praesumptionem; probationem incumbere asserenti idem obsoleuisse aut abrogatum fuisse. Abrogatum autem in regno Neapolitano plane et expresse non fuit nisi editis promulgatisque Napoleonis codicibus.

Quod vero ad ius canonicum attinet, nemo ignorat utrumque amice processisse, saltem ad saeculum usque XII, Ecclesiamque de iure civili Romanorum optime fuisse meritam. Quum autem imperatores germanici immerito Ecclesiae detrectare coepissent, eique non uti Matri parere, sed tamquam hosti adversari eiusque iura sacrilege conculcare, obliti plane divinae eiusdem institutionis ad supernaturalem finem, tum iidem sacrilegas oppressiones et usurpationes praesumpsere, ut solet, fuco quadam iuri fulcire, et ad id iuris civilis consultos advocavere, Bononienses maxime, qui effrenatae imperiali cupidini morem gessere servilem. Tum lucta exarsit, eaque acrior in dies, non inter ius canonicum et civile, sed inter «civili-

stas», qui iura Ecclesiae aggressi sunt, et eos qui eadem iura defendere pro aris et focis contenderunt strenuissime. Et quia civilistarum cavillationes bonos decipiebant atque ab Ecclesia extra Italiam prae- sertim, avertabant, concilia et decretalia quaedam vetuerunt ne clerici iuri romano studerent, ne implicarentur otiosis quae- stionibus, eoque magis quam ius canon- icum pleraque instituta iuris civilis iam complectetur, ut de rerum dominio, de usu capione et praescriptione, de testamen- tis, etc.; quin imo Innocentius IV, edita bulla «Dolentes» a. 1254, vetuit ne «ius saeculare» edoceretur, Universitatibus ita- licis exceptis. Atqui si Itali adversarii pror- sus iuri civili fuissent, italicas non exce- pisset Universitates: ideo a nostra hac stu- diorum Universitate romana ius romanum nunquam exsulavit; idque, superatis tan- dem aut remissis insanis discidiis, aperte iuris consultissimi fassi sunt. Ad rem Si- gnonius:¹ «Ceterum romanarum litterarum post veterem illam barbararum nationum illuviem misera adeo atque adficta con- ditio fuit, ut non tam diligentis atque ac- curati scriptoris auxilium, quam potentis atque amici alicuius viri praesidium im- plorarint. Anni enim ferme sunt quadrin- genti, quum Italia una cum Ecclesia in libertatem divina Pontificum Romanorum virtute atque constantia vindicata, italicci homines, memoria antiquae gloriae revo- cata, ingenia sua ad vetera, quae obso- leverant, studia rettulerunt. Quo quidem tempore latinae litterae paullatim oculos in urbe Roma primum attollere, ac sensim quasi lucem aspicere ex diuturna coeci- tate cooperunt».

Atque I. B. Gravina:² «Quamobrem, emersis Lotharii temporibus, post diuturnam noctem, Romanis legibus, adeo sa- crae cum illis coaluerunt, ut Decretalium

¹ De antiquitate iuris romani (Bonon., 1574).

² Orig. iuris civ. (Neapoli, 1723).

libri, exceptis iis quae sunt divini tantum iuris, nihil fere aliud videantur, quam pro- gressio et germinatio iuris civilis: quod Summi Pontifices Alexander atque Innocen- tius tertii, Gregorius IX, Innocentius IX, Bonifacius VIII atque plurimi sua in iu- ventute hauserant, a Bononiensi plerique schola, quae tum celebrabatur, illudque de Summo Ecclesiae solio mortalibus prae- buerunt aut respondentes Episcopis et Praesulibus oracula romana potentibus; aut controversias causasque definientes, aut constitutiones Ecclesiasticas pro re nata condentes».

SYLVIA ROMANI.


JOSEPHUS PARINI

Ne alienum videatur in *Alma Roma* pauca de Iosepho Parinio poëta disserere; is enim et omnium gentium poëta fuit, quum omnem suam ingenii et orationis facultatem ad communem direxisset utilitatem, et summus perfectusque civis ita, ut Italorum indolem quasi praeferre videretur.

Natus humili genere (eius enim pater sericarius mercator fuit), anno MDCCXXIX post Christum natum, in vico nomine Bos- sizio, ad Eupilim lacum sito, a parentibus Mediolanum est deductus, ibique litteris operam dedit. Quum in summa paupertate esset, forenses chartas transcribens atque pueros privatum mercede docens, suam parentumque vitam sustentare vix poterat.

Vigesimum quintum annum agens in sa- cerdotium venit; quare aditus ei patuit ad ditissimas familias ac nobilissimas; neque enim, ut tunc erant tempora, alia suberat ratio humili loco natis adeundi potentiores. Nam mediolanenses optimates quum a maiorum virtute descivissent, adeo indocti et superbi erant, ut quasi a diis se

ortos putantes, plebem et infimam multi- tudinem valde contemnerent. Nihil grave in eorum occupationibus, circulis, disputa- tionibus, conviviis; nihil digni magnis et praeclaris viris; molliter viventes otio et luxuria diffuebant. Iuvenes autem soluti et enerves, mirabiles catamiti erant; dum comuntur, dum curru vehuntur, dum con- sumptus dies. Omnes denique facile prae- bentes assentatoribus auriculis, adulari se facile sinebant. Verum Parinius nemini sese serviliter addidit neque veneratus est quemquam; quin etiam nihil utilius patriae esse putavit, quam ut optimatum vitia et leves atque effeminatos mores libere pro- ferret atque rideret, acri adhibita ironia. Qua ex re multas inimicitias suscepit atque in calumnias incidit. Pari constantia se praebuit, Cisalpina republica a Napoleone constituta. Is enim, acerrimus communis libertatis propugnator, ad rempublicam accessit. Sed paulo post, quum animadver- tisset eos, qui reipublicae praeerant, sic utilitatem civium tueri, ut omnia, quae agerent, ad se referrent, eosdem homines esse non tam commutandarum rerum, quam evertendarum cupidos, ab eorum conspectu fugiens abdidit se, quantum li- cuit, et litteris tantum intentus, extremum tempus aetatis consumpsit. Qua vero animi constantia atque innocentia fuerit, cum ex omnibus eius carminibus, tum vel maxime ex nobilissimo illo, quod de se scripsit, quodque *Lapsus* inscribitur, appareat. Hieme enim Mediolanii in angiporto ambulans in imbre et frigore, pedem offendens in pro- num male ruit. Subrident pueri; at homo quidam sollicitus accurrens, eum sublevat et: «Quid carmina illa tua», inquit, «fun- dis, quibus in maxima celebritate atque in oculis civium vivis? Pauper es atque inops; nihil habes, ut frigora et imbre vites. Po- tentes homines potius vel qui potentibus imperant adi, auxiliumque multis cum la- crimis pete; aut si dulcia in eos carmina



fuderis, dives eris illisque carus». Male suadenti civi vehementer iratus Parinius haec profert: «Civis probus ad id animum intendit, quod detracta omni utilitate sine ullis praemissis fructibusque per se ipsum iure possit laudari. Quod si senio confectus in summa versetur inopia, auxiliumque libere et clam petitum nullum a cibis accipiat, animo non cadit, sustentatur recta conscientia sua». Magnifica plane verba et magno viro et sapiente digna! Tum Parinius gratus homini ob allatum auxilium, sed eius consilium contemnens, culpa vacans domum rediit.

Simplex et apertus, veritatis cultor, fraudis inimicus in nullo claudicavit officio. Nam vitae genere delecto pauper atque inops in vitae perpetuitate esse maluit, quam institutorum morum mutationem facere, quam sibi ipsi non constare. Diem obiit supremum XVIII kalend. Septembbris anno MDCCXCIX.

Parinius igitur ab ineunte aetate praestantissimum ingenium contulit ad poëticam; et nondum annorum XXII alieno nomine nonnulla edidit carmina, ex quibus magnam existimationem collégit, quae tamen postea repudiavit, quum eximiam formam, quam mente intuebatur, expressam non reddidisset. Quam quidem formam consequutus (diu enim graecis litteris et latinis operam dederat) lyricum poëma summa cum laude tractavit ita, ut in eo genere aetatis suea poëtarum princeps exsisteret. Sed quoniam singula carmina persequi longius est, quam ratio huius institutae disputationis postulat, id unum dicam, Parinium plane suum esse, sive virtutes bonorum civium exprimit, sive effusam saeculi licentiam insectatur, sive civium luxuriam contemnit, sive denique agricolarum voluptates et locorum amoenitates prosequitur.

Sed poëta noster praeter ceteros in saura excellit. Namque tota eius gloria nobilissimo et maximo illo poëmate ad do-

cendum composito, quod *Dies* inscribitur, continetur. Is enim in ea tempora incidit, quibus, ut supra diximus, nobilium hominum ridiculi mores materiam satirico carmini paeberent. Itaque *perpetua* utens *ironia*, iuvenem nobili genere natum graviter, ut qui in suo officio est, docet quid illi faciendum sit mane, quid meridie, quid vespere, quid denique nocte instant. Hoc modo omnes leves et ridiculas optimatum occupationes describit, easque sic exprimit et ante oculos ponit, quasi res agatur, non quasi narretur. Atque ne eadem res legentium animis taedio esset, narrationes et descriptiones paeclarissimas interposuit, ut fabulam illam Cupidinis et Hymenis, ut originem pulveris, quae *cypria* dicitur, ut vulgatissimum illum dgressum, qui est de domina efferata et de servo. Quid porro dulcius inveniri potest quam et primae partis diei, et meridie et noctis descriptiones, quae picturae proprie dici possunt? Omnia autem splendidis coloribus et paeclaris sententiis, omnia imaginibus grandibus et verbis aures multcentibus iucundissime, unde acris exsistit ironia, illuminantur.

Legendus sane est hic poëta cum omnibus, tum vel maxime iuvenibus, et maximis honoribus afficiendus, si quisquam alius. Is enim, qui ubique in suis carminibus summus magister optimae disciplinae et severitatis est, quique perfectum sibi opus esse existimavit si cives suos probos reddidisset, ingenium alere facile potest.

D. T.

• • • • •

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

NOSTRA RES

Ad renovandum latinae linguae usum,

EX BATAVIA

Certamen poëticum Hoeufftianum

Dum litteras regiae Academiae Nederlandicae circa exitum certaminis poëticum Hoeufftiani an. MCMXXXV exspectamus, certiores facti sumus certaminis ipsius victorem fuisse R. P. VICTORIUM GENOVESI S. I., carmine inscripto *Hyle*, et magna laude ornatum FRANCISCUM SOFIA ALESSIO, qui *Ferias montanas* cecinit.

Utrique amico et commentarii nostri socio, nostrique laboris iamdiu participi, ex omni animo pro meritis publice gratulamur.

PAGINA HERDERIANA

I

De duritia corporis

Superiore anno Friburgi Brisgoviae officinam Herderianam reliquit duodecimus idemque ultimus tomus magnae illius encyclopaediae, cuius operis paestantia totius mundi moveat admirationem. Quidquid hodierna arte hypothetice et graphice est effectum, in his tomis videmus expressum. Et est verus thesaurus scientiae, et, quod summum est, quae hic proponuntur, ita ipsa veritate nituntur itaque omnia ad id quod est absolutum referuntur, ut verissimum sit, quod quidam operis laudator scripsit: «vivi et credi posse ex magno Hereri lexico», quum in reliquis eiusdem generis lexicis de rerum huius mundi rationibus ultimis aut non quaeratur, aut studio partium scrupulosius evitato, quod res postulet, non aperte satis respondeatur.

Ad illud ergo magnum tamquam flumen scientiae humanae mihi permittitur admo-

vere plumbeos Latinitatis meae tubulos, ut derivem in ALMAM ROMAM aquulas. Sed non ante admovebo, quam dixerim, quod dixi alias, mihi nunquam videri satis firmamenti habituram rem Latinam, priusquam cognovero idoneos tantae moli viros adornare iam Latine, quod Germanis Germanice molitus atque enixus est illa Herderiana familia doctorum.

Nunc institui in ALMA ROMA reddere, quae in pagina quadragesima prima et secunda encyclopaediae tomus primus habet *de duritia corporis*. Primus is est articulus marginatus; nam quorundam materia nonum ita descripta est et explanata, ut in iustum commentationem creverit. Eis igitur commentatiunculis circumdatae sunt lineae marginales, ut marginatis articulis nomen indere placeat, quos illi *Rahmenartikel* vocaverunt. Num quid prohibet, ne circumlineati dicantur articuli? Tales inventiuntur in primo tomo operis quadrageinta, quorum primus est de duritia, quam ego malim esse «durationem», corporis. Et est haec fere oratio.

Durat se quicunque amplificare studet vires vel corporis vel animi, ut reprimere possit, si qua sint nata adversa. Sed contractiorem plerumque sensum vox durationis habet; nam duratum hominem dicimus qui ita corpus assuefecit suum caeli temperaturae; hoc est ferendis omnibus thermometri gradibus, ut facile resistat devotis perfrictionum morbis. Quorum morborum ut sint incertae adhuc causae, at certum est duratoria corpora minus adflictari frigore. Est autem haec duratio coniuncta cum rationibus eius qui est in corpore caloris et cum perfunctionibus cutis. Nunc autem corpus humanum ipsum per se semper ita temperat calorem suum, ut contineatur intra gradus trigesimum sextum cum septem decimis et trigesimum septimum cum quinque decimis, neque refert, sub aequinoctiali quis circulo an sub arctico polo sit: automatice sibi corpus eum

gradum caloris reparat. Quod fieri non posset, nisi ille, qui est in corpore calor, subtilissimam haberet dispensationem. Ad eam dispensationem facit, quod cutis variante copia sanguinis in se latentis non semper tantundem emitit calor, et quod mutata motione muscularum variantur respirationes, et processus assimilationis mutantur et permutationes organicae.

Et cutis quidem muneri suo sapientissime est instructa. In eam enim frequentes exeunt nervi percipiendae temperaturae, qui sunt totidem quasi foculi caloris non aequabiliter per corpus sparsi. Accedit quod in ipsa cute sanguinariorum vasculorum rete ita subtiliter divisum simulque confertum est, ut etiam dimidiā partem capiat totius sanguinis, qui in universo est corpore. Efficitur ut mutatis necessitatibus accommodari possit copia calefacientis sanguinis.

Et muscularum motu et altius ducendo spiritu unumquodque corpus ex arbitrio certum calorem comparat. Praeterea habet temperationem caloris sui quam reflectriam vocant, id est per nervos factam, quum in frigore ex medulla dorsi contrahuntur et capillaria vasa et tenues quae sunt in cute muscularum fibrae; quod ubi fit pallescit, frigescit, sanguine rarescit cutis et sequitur ille horror, quem Germani *Gaensenhaut*, Galli *chair de poule*, physiologi *cutem anserinam* vocant. Quo autem minus sanguinis est in pelle, eo minus emititur calor. Contra, quum caletur, sanguinaria vasa dilatantur, cutis rubescit et multum fundit calorem. Simil incitantur sudoriparae glandulae, inde natus sudor dum exhalatur refrigerat membra. Sic cavetur morbo, qui insolatio vel sideratio dicitur, prohibita caloris tamquam accumulatione.

Sic autem exerceri accommodationem cutis ad caloris vicissitudines necessarium prorsus est hominibus huius cultus et humanitatis, qui per vestitum nostrum assuverimus aequali fere temperie, celeriter

accommodari vicissitudini caeli, desuecerimus cutem. Corpus nostrum expositum frigori per se studet motione muscularum augere calorem suum, ideoque tremimus et horremus in frigore. Quod sic spontaneum est corpori nostro, nos etiam consulo cum utilitate nostra promovemus iactantes brachia et currentes in loco, hoc est eo motu, quo in currendo utimur, sed in eadem vestigia pedes ponentes. Est praeterea efficiendi caloris ratio multum neglecta, sed saepe, et semper quum transimus ex calefacta diaeta in apertum frigus, propemodum necessaria ad prohibendam perfrictionem corporis: « profundior respiratione ».

Si iam quaeras quibus artibus corporis dures, haec quatuor breviter accipe praecpta:

Primum: Ne commiseris, ut immodico vestitu corpus mollias tuum, quod quantumvis involvas, non redes immune frigoris, quia cutis parum circumflata aere, quum sudat, nimium perfrigescit. Propterea semper pateat aeri ad ipsam pellem per vestimenta via.

Alterum: Assuesce frigido aere sic, ut saepe incedas sub divo etiam furente vento et in tempestatisbus, ut et in cubiculo tuo et sub divo corpus quam tenuissime potest vestitum exponas aurae, ut apertis fenestrulis dormias, ut aereis utaris tuguriis.

Tertium: Uttere exercitationibus gymnasticis. Quorum hominum corpora formata sunt arte gymnastica, facilis accommodantur repentinis calorum detractionibus, quam eorum, qui minus sint condocefacti. Itaque ad durationem corporis pertinet corpus certo exercitationum gymnicorum modo roborari. Eodem spectant totius corporis perfricationes certis intervallis faciendas.

Quartum: Uttere multum aqua et aere! Hic tamen tu ne credideris durare corpus idem esse atque assuefacere quam frigidissima aqua. Non omnes sine incommode ferunt frigidam, et nimium huius durationis

nis studium medicorum experientia improbat. Mane paucis minutis lavare corpus universum saluberrima est duratio et grata in reliquum diem refrigeratio. Ubi balneum non est, gummeo alveo utamur. Ad efficacem cutis reactionem efficiendam sat est adhibere temperaturas paulo gradu tricesimo secundo inferiores. Lavandi initium quum facis, temperatura sit, qualis cubiculi fere tui; paullatim descende ad gradus depressiores. Quum infunderis, quum irrigaris, quum totum te das in aquam, procede a gradu Celsii vigesimo quinto fere, diminuens in dies dum perventum ad gradum vicesimum vel duo vicesimum. Commodissimae sunt breves submersiones sequente aero in diaeta balneo et motu atque agitatione corporis. Natationes fluminales vel maritimae non admittunt caloris temperaciones, sed utilissimae sunt quod cum sole, cum aere, cum vento fiunt. Et magnopere refert, ut post aquas diligenter sicces cutem et frices, ne lenta residuae aquae exhalatione nimium frigescat.

Qui ex nervis laborant, quorum parum firma est constitutio, qui ex morbis convalescunt, quod nimium frigida irritatur corpus, humido tersu vel partium ablutionibus contenti sunt, et loti in lectulo paullisper conquiescant. Magnus error est durare velle corpus quamdiu affectum frigore sit.

Infantes mature assuefacendi sunt aere, luce, sole, sed durare corpuscula aqua ne coepiris ante annos scholares parvolorum. Sed in propositis scholarum esto durare corpora discipulorum assuescentia magis et magis brevibus aquationibus.

Habes, lector, Herderianarum paginae primam, quam et alias spero securitas esse. Et est, quod te velim monitum. Quam non sit facile hodiernas res extem-

plo proferre Latinis verbis, si forte non credas, auctor sim experiare. Quae ego hic feci ex illo de duratione articulo adeo non reor ipse perfecta esse aut digna conspectu hominum Latine doctorum, ut etiam horter rogemque, si qui plus viderint, in ALMA ROMA aperiant; nam ego mihi et sociis commentarii nostri polliceor uberiorum Latinitatis fructum ex his contentiobus litteratoriis. Convenitque tibi mecum, ut durationem potius dicamus quam duritiam, propterea quod duratio actionem habeat durandi, duritia quod duratione effectum est sonet? Deinde quum supra scripsisse automatice, quod ut respondeat huic Germanorum formae *automatisch*, nullibi invenitur in eam formam eductum, in mentem venit mutata novatione scribi potuisse *automatum*; nam sensus eius loci est: corpus « per se agens »; nam haec est vis eius vocis, calorem reparat. Intelleges certe multas voces a medicis et chymicis et philosophis novatas non posse circumiri, si tibi vis facere audientiam. Quid dabis pro *temperatura*? pro *sanguinariis vasculis*? pro *capillaribus vasis*? pro *reactione*? pro *anserina cute*? Glandulas ego non sudoriparas sed sudoriferas fecissem. Quomodo tu Latine enuntiabis hic: 37° et similia? Et sunt alia non pauca, quae, si tempus sit, ex te quaeram. Ne longus sim, unum addam: Postremum articuli verbum legisti. Scin quas ego fecerim aquationes? Ad novam sententiam inflexi vocem, ut aquationes mihi sint non modo aquae appetationes, sed etiam hydrotherapeuticæ applicationes, eodem fere modo, quo ex aprico apricari ducitur et apricatio. Itaque ut omnem intellegas sententiam, te quum uti aqua hodie iubeo, ut *aqueris* hortor, sed caute, ne concipiatur corpus frigora. Ego interim assuetus *aquabor*, ibove *aquatum* sicut *aquatus sum* antea cotidie post lectum.

A. AVENARIUS.

COLLOQUIA LATINA¹

XXIII

Disputatio.

EUSTACHIUS, OCTAVIUS.

EUSTACHIUS. — Si cuiquam vestrum tantum adest fidentiae, prodeat extemplo in medium, ac certamine tecum congregietur, et vel summis tecum copiis contendat.

OCTAVIUS. — Quid tu garris, audacule?

EUST. — Ad disputandum quemcumque de condiscipulis praesentibus provoco, nemine excepto, ne teipso quidem, etsi vivideris esse quantivis pretii.

OCT. — Quo fretus tam insolenter te iactas?

EUST. — Diligentia sola: tenes?

OCT. — Nos igitur hactenus dormivimus; et tu, si caelitibus placet, didicisti omnia, caeteris nihil reliquisti?

EUST. — Qui se credit profecisse surgat, veniat; digladiemur.

OCT. — Quasi tu sis praecipuus et invictus disputator, ita gloriaris, ventosissime atque confidentissime homuncule.

EUST. — Re cupio refelli, non meritis negationibus et maledictionibus.

OCT. — Dolebis intimis sensibus, quum tibi victo ruborem excussero.

EUST. — Tu opinione tua deiectus, et a me pudore affectus recedes.

OCT. — De quo vis disputemus?

EUST. — Hoc tui est arbitratus.

OCT. — Paratus es in omnibus?

EUST. — In omnibus.

OCT. — De nominum verborumque inflectionibus agamus.

EUST. — Ut voles.

OCT. — Capiamus arbitrum, seu legamus qui amborum errores totidem punctis notet.

EUST. — Ad id iam se Albertus comparat, ut vides.

OCT. — Euge, Alberte, ne somniculose hoc agas, et nihil des gratiae.

EUST. — Dimitte librum.

OCT. — Tu quoque abiice tuum.

EUST. — Nullum habeo.

OCT. — Suggestorem tibi nullum esse volo.

EUST. — Multo minus ego tibi. Egregere de loco tuo, et conside in scamno quod affixum est parieti.

OCT. — Tu idem facito, sed e regione.

EUST. — Licet.

OCT. — Ne obruas me clamoribus, et spatium iustum ad respondendum concedas.

EUST. — Geram me ut par est.

OCT. — At si te vicero, haud eo contentus ero.

EUST. — Quid petes?

OCT. — Tuum mihi locum cedas oportebit.

EUST. — Haud recusem. Tuum, quum meo inferior sit, non postulo; aliud victoriae praemium persolue.

OCT. — Quale?

EUST. — Lapideos globulos aliquot de selectioribus.

OCT. — Iniqua conditio.

EUST. — Quapropter? Locus meus honoratissimus locorum est; ista autem quae abs te exacturus sum, honoris et ornamenti quid afferunt?

OCT. — Etsi non optima appetit conditio, nihilominus quia fastum hunc tuum retundere discipio, hui, Martem utrinque invadamus. Pone tuas quaestiuulas. Mox vel ad terram victus corrues, vel praecipitem te fugere mandabis.

EUST. — Res tibi erit in angusto.

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis passim retractavit hodierisque moribus aptavit I. F.*

ANNALES**Locarnense pactum a Germanis retractatum.**

Non equidem difficile praevidere erat, post foedus inter Galliam atque Russiam sanctum, Germaniam in contrarium aliquid effecturam: re quidem vera, die VII mens. martii, Hitler, eius Cancellarius, coetui publicis legibus ferendis ex improviso coacto nunciabat, post violatum a Gallis per foedus illud Locarnense pactum, Germanicam Rempublicam pactum ipsum ex parte sua retractare, ideoque copias in Rhenanam regionem usque tunc Germanis militibus vacuam illo ipso die in imperii symbolum esse missas. In compensacionem nova ut regio militibus carens crearetur proponebat, pari hinc inde conditione cum Gallia et Belgica; itemque ut cum iisdem populis novum foedus feriretur de nulla aggressione per viginti annorum spatium peragenda, vadimonio ad rem ab Italia atque Anglia dato; ut foedus aliud eiusdem generis cum Lithuaniae componeretur; denique ut aërea conventio cum civitatibus ad occidentem positis iniretur.

Quantum omnium animi, Gallorum prae-
sertim, inde commoti fuerint, cuique coni-
cere licet: Sarraut, Gallicorum administro-
rum Princeps, tum provocazione ad popu-
lum, tum oratione habita apud popu-
larium legatorum coetum atque Senatum
vehementer repetit statum quo ante redi-
tingrandum, priusquam de negotio aliquo
novo agi possit; Anglia autem per Eden
administrum, vel recognita non legitima
Germaniae agendi ratione, sese tamen non
alienam profitetur ad novas pactiones Lo-
carnensibus substituendas, easque quae
permittant Germaniae redditum in Natio-
num Societatem. Italia denique actionem
quamvis suam in rem vertere haud sibi
licere declaravit, donec sanctiones in eam

illatae abrogatae non fuerint atque Aethiopicum discrimen cum iustitia compositum.

Tum Gallia et Belgica ad Nationum So-
cietatem provocant, cuius consilium Lon-
dini congregatur et plenis suffragiis pro-
nuntiat Germaniam revera tum Locarnense
tum Versaliense pactum fregisse; eam in-
vitat ut de legitimitate foederis Gallo-Rus-
sici iudicium ad Hagense supremum Tri-
bunal deferri patiatur, copiasque interim
ex Rhenania reducat, quas pro tempore
acies aliarum nationum substitutae sint.

Germania per legatum suum declarat
sese pridie kalendas apriles, post populi
comitia habita, hisce propositionibus re-
sponsuram.

Turcarum respublica Lausanense pactum renuntiat.

Germaniae exemplum Turcarum respu-
blica sequitur, quae, Lausanense pactum
renuntians, plenum sibi vindicat imperium
in Hellespontum, Bosphorum et Propon-
tidem, iusque armis ea munimentisque ad
suam defensionem instruendi.

Italiam inter atque Aethiopiam discrimen.

Italiam inter atque Aethiopiam discri-
men, seu potius bellum, perdurat adhuc
cum novis Italorum victoriis; qui post Ta-
cassé flumen ultra procedentes, Corbetá,
Ferraroá, Cafra, locaque alia Gondar usque
occuparunt, ubique ab incolis atque Ae-
thiopicis magistratibus honorifice excepti.

Tredecim autem virorum consilium apud
Nationum Societatem novarum bellantibus
populis suasionum ad pacem componendam
auctor est.

Novum commerciorum foedus ab Italia sanctum.

Die XXIII mensis martii Romae inter Italiam, Austriam et Hungariam novae tabulae additae sunt foederi an. MCMXXXIV sanctum ad commercia non oeconomica tantum, sed et studiorum mutuaeque politicae actionis magis magisque intra suos populos firmando; quod bonum faustumque sit!

Iaponica seditio.

In Iaponia militaris seditio necopinato exorta est: regii administri atque proceres plures, ad octoginta circiter numerum, interficti sunt. Satis vero fuit Imperatoris iussum, ut seditiosi milites ab armis statim recederent, atque coniurationis principes, ipsi — prouti nunciatum est — mortis poenam sibi consicserent.

POPULCOLA.

VARIA

Respublica ac Principes potentes amicitiam non auro, sed viribus atque virtute comparant.¹

Capitolinus exercitus stationibus vigiliisque fessus, superatis omnibus malis, unam famem superare non poterat: diem de die prospectans ecquod auxilium a dictatore appareret, postremo spe quoque iam, non solum cibo deficiente, vel dedi se vel redimi quacumque ratione iussit. Colloquio transactare res, et mille pondo auri, premium pro obsessorum redemptione, consti-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii*, latine vertit H. BINDI.

tutum est. Sed diique et homines prohibuere redemptos vivere Romanos. Nam antequam infanda merces persolveretur, propter altercationem, nondum omni auro appenso, quod Galli iniqua pondera attulissent, Camillus dictator intervenit, aurum auferri e medio iubet, armisque Gallos ex urbe cedere coegit. Quae res non in hoc tantum casu, sed universa Romana historia memorabilis est: nunquam cernes eam Rempublicam aut pacem ab hostibus, aut agrum urbemque aliquam pecunia comparasse: omnia armis atque virtute parabant; idque huic Reipublicae peculiare fuit, praeterquam ulli alii, aut Reipublicae, aut regno contingere potuerit. Evidens autem argumentum est et imperii tui potentia si observes qua ratione cum vicinis vivas, quam pacem habeas; nam si talem te praestiteris, ut vicini a te argento pacem redimas, firmum esse imperium tuum oportet; sin econtra aliorum amicitiam argento comparare cogaris, imbellem te esse certum iudicium est, praesertim si non modo magnorum principum, verum etiam parvorum amicitiam ea ratione ambias. Historiam populi Romani si intuearis, deprehendes Massilienses, Rhodios, Heduos, Hieronem Syracusarum regem, Eumenem, Masinissam, et alias reges vicinos Romanorum, ut amicitiam eorum retinerent, auxilia semper in bellis iis attulisse, nec quicquam pro ea re petuisse aliud, quam ut in eorum clientela conservarentur. Contrario modo eveniunt omnia, ubi Respublica aut Princeps imbellis fuerit: cui rei satis argumento esse potest nostra Florentia, quae superioribus temporibus, etiam tunc quum eius opes maxime celebres essent, omnibus prope Aemiliae Flamminiaeque regulis annua stipendia solvebat; ac praeterea etiam Perusinae et Castellanae reipublicae civibus. Quod si bellicosa fuisse nostra civitas et militari virtute excellens, contrario modo accidissent haec omnia: omnes enim vicini eius amicitiam

argento comparare conati fuissent, nec quicquam praetermisissent eorum, quibus benevolentiam eius demereri potuissent. Idem hoc vitium et eadem ad res bellicas inertia, non in civitate nostra tantum, sed in Venetis etiam et Gallorum rege appetat. Nam hic, quum tantum regnum possideat, tamen tributarius est Helvetiorum et Angliae regis, ob eam nimirum causam, quod subditos imbellis et ad militarem disciplinam nequaquam recte institutos habeat, videturque et hic rex et ceteri, qui eum imitantur, pluris facere tributa et magnas exactiones a subditis extortas, quibus fucatam tantummodo pacem quietemque a vicinis redimant, quam militarem disciplinam, qua veram quietem et pacem iustum in perpetuum impetrare possent. Longum est enumerare quoties Galliae rex, Veneti ac Florentini pacem ab hostibus pecunia redemerint; quoties id perpessi sint quod populus Romanus si semel tantum subire coactus fuisse, magna ignominiae futurum sibi putasset. Longum est etiam recensere quot oppida, cum Florentini tum Veneti, pecunia emerint. Sed iidem postea viderunt quam inepte a se factum sit, quum cernerent, quae auro comparata essent, ea ferro conservari non posse. Populus Romanus, quamdiu liber fuit, semper huiusmodi magnitudinem animi declaravit, postquam sub imperium Caesarum reductus fuit, et Caesares detersiores esse inciperent, mallentque in umbra domi latere, quam militando solis ardorem ceteraque incomoda ferre: coepit ipse quoque pecunia pacem quandoque a Parthis, quandoque a Germanis aliisque populis redimere, atque hoc fuit labescens Imperii Romani initium. Accident autem haec omnia huiusmodi hominibus propterea quod subditos habere velint nimium dicto obedientes, et proinde inermes eos esse volunt, nec ulla militari disciplina recte institutos. Atque hinc fit, ut quum arcere hostes nequeant a finibus Imperii aliter,

tributum vicinis regulis populisque pendere cogantur; quod quum a subditis subinde extorqueant eosque magis magisque extenuent atque imbelles reddant, nimium roboris in centro imperii sui conservant. Itaque hostes in finibus imperii aliquandiu sustinent; postquam fines ingressi fuerint, neutiquam resistere possunt. Sed sinistre fiunt haec omnia. Quemadmodum enim natura in animalibus partes principales maxime munivit, non extremitates ipsas, quod absque hisce vivere corpus possit, ita in Imperio centrum quam maxime munitum firmumque esse oportet.

Aegrotus et Medicus.

Aegrotus quidam a medico suo interrogatus quo pacto praeteritam noctem periegisset, respondit se admodum sudasse. « Hoc — inquit Medicus — bonum est ». Postridie reversus, et similiter percontatus aegrotantem, audivit horrore fuisse ipsum vehementi concussum. « Hoc — Medicus — bonum et ipsum est » — inquit. Tertio sciscitatus quo se haberet, cognovit intercutem effusam affligere hominem. « Sed et hoc bonum est » — dixit. Digresso medico accessit ex amicis unus aegrotum, et: « Quid fit — inquit — et quo in loco sunt res tuae ? » — « Optimo — inquit aegrotus —; nam multitudine bonorum extinxeruntur ».

Fabula indicat, non aliis homines magis succensere, quam iis quos in suam gratiam mentiri, et a quibus assentationibus se falli animadverterint.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Ius gallinaceum in scyphis ministratum.
Artocreas ex pasta vermiculata, pullorum extis fartum.

*Asparagi caseo et butyro conditi.
Agnus cum carduis in sartagine decoc-
tus.
Scriblita Paschalis.*

Locosa.

TUCCIU amico cuidam:
— Cur brachium in fasciam a collo pen-
dentem inductum geris?
— Namque intorsi.
— Bene tibi quia brachium; si enim
caput fuisset, quomodo a collo pendens ge-
reres?

TUCCIU in schola.
Postquam Magister late de satis disser-
uit, deque morbis quibus maxime afficiuntur,
Tuccio obfert frondem vitis crypto-
gamae signis insignem, et interrogat:
— Quem morbum haec frons patitur?
TUCCIU prompte: — Pulmonitem.
— Ergo est animal?
— Numne ipse dixisti frondes esse sa-
torum pulmonem?

Aenigmata.

I.

*Arcanum volitat; caudam si demeris, altus
Tunc iam viventum pectora somnus habet.*

II.

Vox eadem signo leporem callemque latenter,
Viscera telluris qui tenebrosa secat.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Infundibulum*;
2) *Do-mus*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

LIBRORUM RECENSIO

JOSEPHUS MORABITUS — *Daedalus* — Carmen in certamine poëticō Locrensi laudatum (Polystenae, typis *Orfanelli*, MCMXXXV).

Daedalus iam aetate et aegritudine, propter filii obitum, confectus, solus flet prope mare, quo Icarus lapsus erat, et mortem invocat. Pastor, tenera aetate, eum solatur, eius egregia facinora memorans atque admonens saepe assiduum laborem levamen esse tristitia: quidni monumentum, quod mortuo erigendum incepérat, perficiat? Respondet Daedalus, se hoc perficere saepe conatum esse, sed imaginem pueri procidentis et frustra auxilium rogantis ipsius manus et mentem agitare et impedire. Uterque tacet et sol occiduus aspicit senem flentem et mortis so-
laciū invocantem.

Laude merito in Locrensi certamine carmen ornatum, quod, versibus expolitum, tanta arte pa-
trem et artificem sine solacio lacrimantem effin-
git, ut nostros animos moveat.

Anconae.

IUNIUS GARAVANI.

LIBRI DONO ACCEPTI

IOANNIS PASCOLI, *Poëmata christiana*. Studio del prof. GIAMBATTISTA BELLISSIMA, con pre-
fazione di Giuseppe Lipparini. — (Bononiae, Nicolao Zanichelli editore).

Emo Carolo Salotti cum primum post Sa-
cram acceptam Purpuram insigni civium gaudio
Falscodunum rediit, ACASTES BRESCIANI (Typis I. Agnesotti, Viterbi).

FERDINANDO BERNINI. *Dante e Salimbene* (Typ. Societatis Editricis «Internationanis», Augustae Taurinorum).

REGULUS

[5]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

MA. Captio pol callida! — TU. Animus ardet, quom cernimus Illos viros, quos Roma semper edit partu maximos.
SE. Recte putas; hac re meritum vetus ex oculis abit.
Quis Regulum nam cogitat? — MA. Nos omnes. — SE. Optume;
Sed quid ei tamen prodest vostra sui memoria?
TU. Ut ego recte novi consulem, ille permutabitur.
Edepol tam bonust, quam magnus, tantus, quam bonus,
Animos qui mollibit patrum. — SE. Patrum? Regulum
Nam scitis esse plebeium. — TU. Iam prisca tempora
Praeterierunt; nam etiam in senatu plebei sedent.

SCENA VII

MARCUS, SEXTUS, ATILIA, TULLUS

MA. Hah! Quid in illa movetur porticu? quidnam rei?
Esse mulier vestita ueste videtur lugubri.
SE. Compella sis istanc. — MA. Quis es tu, mulier?
AT. Atilia sum, vostri coniux Reguli quondam consulis,
Quoius vos obliiti estis. — MA. Videris esse morbida.
AT. Ita est, at animus mihi maxume dolet. — TU. Miseret nos tui.
AT. Quidum ecastor ego huic rei tribuam fidem?
Quinque iam anni sunt, quom Regulus gemit in vinculis,
Nec vos eius miseret. Roma eius obliviscitur,
Quoi tantum debet; num mei vos, cives Romani, miseret?
Non credo. — TU. Elate dicis ac reputare non videre te
Loquier ante civis. — AT. Civis? ecastor hoc scio;
Non ego peregrinis vostrum animum ingratum homonibus
Ac dedecus memoro. — TU. Sit sane; istunc tamen magnum virum
Se capi sinere non oportuit. — AT. O magni di!
Quantam iniustitiam! illum, qui sese defendere non potest,
Iudicatis. Si voster heros in trutina iustitiae
Tam levis videtur esse, quot pondo estis vos graves?
Non enim vero vos scitis, quomodo captus siet,
Ego vero hoc certo scio ex oculatis testibus.
Audite me, postillac iudicate, si placet.
SE. Istanc pol audiundam censeo. — TU. Ergo loquere.
AT. Xantippus quidam Graecus fuerat, qui cum Regulo